

~~G.H.A.~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.
VI-69. ———
SIGNAT. CI^oICCCXIII.






IUBILÆUM
LUTHERA-
NUM

Ad ult. Octob. & prim. Nov.
anni currentis,

in Schola Leorina


PIE CELEBRANDUM
Indicit.

M. CASP. SVEVUS
RECTOR.



LIGNICI

Typis Nicolai Sartorii.



*Amplissimis, Consultis. Prudentis.
Spectatis. Viris*

Dn. CONSULI, Cæterisque
Laudatissimæ Reipub. LEO-
BERGENSIS Patribus
Conscriptis,

ORTHODOXIAS LUTHE-
RANÆ Promotoribus Promtissi-
mis, Constantissimis,

HANC

Jubilæi Lutherani, Pie, Re-
ligioseq; in Schola Leorina,
celebrandi,

INDICTIONEM.

*Debitæ observantiæ ergo
offert*

AUTHOR.

S. A. S. A.

Inter alias, quæ apud sapientissimos, Populos, in usu fuerunt solemnitates, non infimum sibi locum vendicant *Seculares ille festiuitates*, non in hominum tantum, sed urbium etiam, imperiorum, Scholarum victoriarum, & similibus rerum memoriâ dignarum recordationem, tanto apparatu, splendore tanto, tantâ devotione celebratæ: ut, qui magnificentiam illam imitari non potest, quod in ea miretur, plus quàm satis habeat.

Nam ut latere patiar *Numam Pompilius*, secundum illum Romanorum regem: quem nonnulli ob divini cultus studium, Iudorum Secularium primum credunt autorem: Ut nihil dicam de *P: Valerio Publicola*: qui & ipse ob ludos istos curiosius instauratos celebre apud Romanos nomen consecutus est: quis nostrum adeo hospes & peregrinus in historiâ Romanâ versatur? qui nesciat: quo apparatu nonnulli Romani Imperatores ludos istos seculares, ex antiquis Ceremoniis paulatim abolitos, restituerint, & celebrarint. *Augustus* certè Imperator, cum in pugna Actiacâ, Antonio Imperii Romani hoste funestissimo victo, bellis Civilibus finem optatum imposuisset: in honorem Apollinis, cuius præsidio se tantam ab Antonio victoriam reportasse credebat, ludos seculares magnifico apparatu, edebat extra tempus; quod ludis istis antiquitus destinatum erat. In iis præter sacrificia, supplicationes, lectisternia, eorum procurSIONES, quadrigarum agitationes, athletarum luctationes, aliaque; hujus generis ad omnem memoriam stupenda spectacula, ter novem pueri prætextati, totidemque puellæ, patrimi

Comm.
Conq. in
car. hec.
Hor.

Val. Max.
l. 2. cap. 4.
Chacol. in
car. hac.
Dio. lib. 54.

Alex. ab
Al. l. 6. c. 19
Hor. Ep.
Car. Sec.

Chabot. l. 3

patrimi omnes, ac matrimi producebantur: qui ter-
tio demum die, carmina pæanaſq; Græcâ Romanaq;
lingvâ concinebant: quibus populi Romani incolu-
mitas & ſalus Diis Urbis commendabatur. Quos verò
Alex. ab. ludos, quàm magnificos Philippus Arabs, qui primus
Alex. l. d. ex Impp. Rom. fidem Chriſtiannam ſuſcepit, cum
Roma milieſimum attigiffet natalem, exhibuerit:
apud Cuſpinianum, & Capitolinum videre poſſunt:
quibus mille paria gladiatorum, triginta elephantes,
Tigrides viginti, centum hyænas, leones, hippota-
mum, rhinocerotem, & alia politicæ cujuſdam ma-
gnificentiæ, omnem ferè fidem ſuperantis oſtenta-
menta, cum Romanis ſpectare ſine tædio amant.

Nos, qui Chriſto nomen dedimus, etſi Ethnico-
rum conatum, & induſtriam in declaranda pietate
erga ſuos Deaſtros, ſuo loco non improbamus: ta-
men, quia iſta pietas ad Lydium illum, ſcripturæ la-
pidem æſtimata, mera eſt impietas, potiore loco ha-
bemus, imò quâ poſſumus, diligentiam & pietate imi-
tari conamur eos cum *Principes*, tum *Doctores*: qui in
populo DEI, mirabilium beneficiorum memoriam,
majore ſolemnitate celebrare conſueverunt: ut iſtis
in oculos incurrentibus Ceremoniis, interiores cordi-
um affectus ad ardentiorum devotionem excitaren-
tur. Deum immortalem! quantâ cum feſtivitate
Levit. 23. Iſraëlitæ celebrabant *Tria iſta Feſta*: quibus benefi-
ciorum in eduſtione ex Ægypto, in promulgatione le-
gis, & divina in deſerto protectione exhibitorum me-
Eſth. 9. moriam repetebant. Cum Iudæi ſingulari Dei provi-
ſ. 20. dentia ab exitio per Hamanum parato liberarentur;
ut, Hamano de arbore ſuſpenſo, omnibuſq; Judæorū
hoſtibus trucidatis, optatâ jam tranqvillitate, & pa-
ce fruèrentur: Mardochei juffu, conviviis hilariter

peractis, decretum faciebant; ut isti mirandæ libera-
tionis dies, singulis annis, ab omnibus posteris, summa
solemnitate celebrarentur. De *Constantino M.* Carolus
Sigonius scribit: quod is Urbis à se restitutæ natalem,
nec non sui Imperii decennalia, vicennalia, & tricen-
nalia magno apparatu, & devota pietate peregerit.
Quâ solemnitate, quo litteratorum concursu, quâ pi-
etate, quo gaudio, quâ animorum devotione, *Acade-*
mia Witebergensis, jussu Serenissimi Electoris Anno
MDCII. centesimum suum natalem celebravit; ipsi
audivimus; vidimus ipsi; & quod in magnâ felicitatis
nostræ parte ponimus, aliqua etiam istius Jubilææ
festivitatis pars fuimus. *Witebergensis Academia* lauda-
tissimum exemplū secutæ sunt, Anno Christi MDCVI.
Francofordiana, Anno MDCIX *Lipsensis Academia*: quæ
& ipsæ, autoritate, & comprobatione suorum Princi-
pum, in Dei immortalis laudem, Illustrissimorum
Fundatorum ac Conservatorum honorem, & deniq;
piorum Antecessorum suorum memoriam, secula-
rem festivitatem celebrarunt.

Acta Jubil.
Witteber.

Cum ergo jam, præpotentis Dei gratiâ, præ fori-
bus sit primi illius sæculi finis; quo Deus Opt. Max. pro
suâ, in omnes homines, inexhaustâ benignitate, ver-
bi sui lucem, idolomania Pontificiæ tenebris obfusca-
tam, & tantum non planè extinctam, operâ cumpri-
mis *Megalandri Lutheri* in pristinum nitorem, & digni-
tatem Germaniæ restituit: quilibet sanè pius, cui gra-
titudo, immortali Deo, pro summo, quod Orbi Christi-
ano obtingere potuit beneficio debita cordi est, quid
sui hoc ipso tempore sit officii, clarissimè videt: Si
enim, quos supra nominavi populi, veri Dei prorsus
ignari, suis Deastris, tanto conatu, tam celebri festivi-
tate, tantâ magnificentiâ, pro beneficiis, per decursum

exhibitis, gratias egerunt: Si Judæi mirandam ex Ægypto educationem, nec non optatissimã ab exitio, per Hamanum parato liberationẽ. quotannis gratã mense recoluerunt: non ignaviã tantũ, sed etiam extremã impietatis notam nos merito nostro incurreremus omnes: si educationem ẽ Romanã meretricis servitute, & spirituales illam à Tarpeo illo Hamano liberationem, nec non alia per centum hos annos Ecclesiã divinitus exhibita beneficia silentio involveremus; hoc præsertim tempore: quo accepti beneficii memoria, debitas gratias, emissã quasi voce, à nobis flagitat.

Quid ergo hæremus? quid moramur ô Mei? *Ibimus in domum Domini: annunciabimus inter gentes opera Domini: narrabimus mirabilia ejus: in populis: gloriabimur in nomine sancto ejus: meminerimus mirabilium ejus, quæ fecit, prodigia, & judicia oris ejus. Hæc est dies: quam fecit Dominus; constituamus diem solemnem usq; ad cornua Altaris. Venite, jubilemus Domino.* Præeunt nobis in hoc pio gratitudinis studio, & quasi semitam monstrant, per quam eamus, *orthodoxæ in Saxonia Electorali Ecclesiæ & Academiæ: quæ jussu Serenissimi Electoris* ultimum Octobris diem, quo primũ Evangelicæ reformationis seculum clauditur, unã cum sequentibus diebus aliquot, solemnibus concionibus, panegyricis orationibus, exquisitis disputationibus, & Doctõrum promotionibus solemniorem habebunt. Quorum exquisitam festivitatem, & illustria devotæ pietatis documenta, ut maximè non æquare possimus: at studium, at pietatem, at devotionem æquum est, imitatione consecremur omnes: qui *Lutheri* nomen & doctrinam charam habemus. Nos quidem, qui in Scholã Leorinã docemus, cùm multa alia ad officium hoc pietatis præstandum compellunt: tũ illud inprimis movet: quod reformationis à *Luthero* factæ fructus satis maturè ad

nostram Leobergam pervenerit : nosq; in Theologi-
cis Scholæ nostræ lectionibus nihil aliud in votis ha-
beamus : quàm ut preciosissimum Lutheranae doctri-
næ, κειμήλιον, in charissimâ nostrâ patriâ diutissimè con-
servetur, & ad longam, si quæ futura est posteritatem
propagetur, Ut ergo juvenus nostra videat: quid de
ea confessione, quæ ferè cum materno lacte imbibit,
sentire, & quo studio, quâ pietate Lutheranae doctri-
næ παραθήκην custodire, & propagare debeat : ad ulti-
mum Octobris diem, circa horam duodecimam, quâ
Lutherus suas positiones contra *impudentissimas indul-*
gentiarum Papalium nundinationes Witebergæ proposuit,
in publico totius scholæ congressu *solemnem Lutherani*
Jubilai festivitatem hoc ordine & modo celebrabimus

Nominati diei hora 12. piis & tempori accommo-
datis contilenis, Choralis & Figurali Musica cum vo-
cali, tum instrumentali, eâ quâ fieri poterit elegan-
tiâ, præmissis,

M. CASP. SVEVUS RECTOR *orationem habebit de Lu-*
theri reformatione Optabili. DN. GEORGIUS LUDOVICUS
CONRECTOR *carmen Heroicum recitabit de Somnio : quod*
FRID. SAP. Elector habuit nocte, præcedente diem : quæ
Lutherus positionis contra Tezelium proposuit. Seqvente die
horis matutinis, concione publicâ finita, loco dicto.

RECTOR *iterum orationem habebit, de Lutheri reforma-*
tione Mirabili,

DN. MELCHIOR ECCIUS *Med. Cand. Collega Heroico*
carmine narrabit : quomodo Leoberg. Ecclesia à Pontificio jugo
liberata sit, & quanta fide in illa semel agnita veritate hæc-
tenuis perstiterit.

GODEFRIDUS GERSTMANNUS *Lignicensis, Scholæ a-*
lumnus ostendet : quanta commoda è Luth. reformatione ad
Scholas redundarint.

MAGNUS


MAGNUS WEIGELIUS *Lignic. Deo, Praeceptoribus, & reliquis Auditoribus pro praestitis beneficiis, & operâ in celebrando hoc Jubileo, gratias aget*

Nihil hîc ad ostentationem à nobis fit: nulla theatralis instituitur pompa: quam meritò pompaticis Papistis relinqvimus: quibus *ἴαις ἐκκλησίας συμφορῶαις ἐπιπομπέειν*, usquequaq; volupe est. Quid à nobis in ista festivitate suscipitur: eò unicè directum est: ut nostram juventutem litterariam, cùm de miserabili Ecclesiarum statu ante *D. Lutherum*, moneamur: tùm ad beneficiorum, per Lutherum à Deo Ecclesiae cumulatissimè exhibitorum praedicationem inflammemus: adeoq; nos omnes. & singuli Deum, conceptis votis veneremur: ut ipse *praclarum Lutheranae doctrinae depositum*, contra furores Diaboli protegere, contra apertorum hostium oppugnationes defendere contra falsorum fratrum molitiones tueri, adeoq; nos omnes omnibus animæ, & corporis bonis usq; ad novissimū diem clementer augere, & amplificare velit.


Quæ cum ita sint: omnibus & singulis Scholæ nostræ discipulis præcipio ut ad tempus praestitutum in monasterio nostro ad *festivitatem istam secularem*, piè, religiosèq; celebrandam conveniant,


A vobis verò Consules Amplissimi: Ephori scholæ Reverendi, Clarissimi, Spectatissimi; Doctores Nobiliss. & Excellentissimi: Mistæ venerandi; Senatores prudentissimi: Cives litterati; Studiosi ornatissimi, doctissimi; à vobis, inquam singulis, & universis, eà quâ par est, observantiâ peto: ut ad tempus dictum, vestrà honorificâ presentia actum istum Jubileum ornare dignemini: & vestrum, erga Lutherum nostrum, affectum hac etiam viâ probatum eat: imò vestro laudatissimo exemplo juventutem nostram litterariam, cui *ὀρθοδοξίαν* Lutheranam, per manus quasi traditâ cupitis ad debitâ ejusdem *ὀρθοδοξίας* estimationem, & conservationem animetis. Valet P. P.
Leoberge 29. Octob. An. 1617.

••• *) o (* •••









Hildrici vindicia Biblica Verfion: Tigur:

Pareii Oratio de pace et unione Eccl: Evangelicav.

Rauespergeri adoratv adpff. Job: Piscatorem.

Ejusd: iudiciu de Grot: libro adpff. Socinu de Satir:

Ejusd: globy facerfatione.

Sculteti (Abr:) Concio fecularis de dra Evang: restant^{ta.}

Marc: Antonii de Dominis caia Affectionis ex Italia.

Ferfii postliminiu.

Argenti de statu Soc: tes: in Polon: et Lituan:

Jampsoni quaestio de foederibz.

Mylis Comodia Africa Synopfis.

Geliccii defenfio sexus muliebris.

Facultatis Theol: admonitio de eadem re.

De Lublinensi Dissput. Ann 1615.

Intimatio tubilai Evangel: ad 1617. Witel

Epistola inatatoria Theol: Saxon: ad ide tubila.

Tubilaum Lutberanu Leoninum.

ULB Halle


3

004 071 263




50





Farbkarte #13

B.I.G.



IUBILÆUM
LUTHERA-
NUM

Ad ult. Octob. & prim. Nov.
anni currentis,

in Schola Leorina

PIE CELEBRANDUM
Indicit.

M. CASP. SVEVUS
RECTOR.

LIGNICI
Typis Nicolai Sartorii.